



PONTIFICIUM CONSILIO
DE LEGUM TEXTIBUS

Communicationes

VOL. XLII • N. 2

2010

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDII «DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA»

**Quintum canonum Schema de Procedura Administrativa
a relatore paratum post Consultorum Sessionem
diebus 4-6 mensis Novembris 1971 habitam**

INDEX

Animadversio praevia

- I – Normae generales (cann. 1-3)
- II – De decretis extra iudicium ferendis (cann. 4-7)
- III – De recursibus adversus decreta (cann. 8-26)
 - 1. Normae communes (cann. 8-14)
 - 2. De recursu hierarchico (cann. 15-16)
 - 3. De recursu ad tribunal administrativum (cann. 17-18)
 - 4. De tribunalium administrativorum constitutione (cann. 19-22)
 - 5. De ratione procedendi apud tribunalia administrativa (cann. 23-26)

ANIMADVERSIO PRAEVIA

In hoc quinto canonum schemate, quam fidelissime potui, expressi ea quae a Consultoribus proposita sunt in Sessione diebus 4-6 mensis novembris 1971.

In canonibus autem redigendis nonnulla debui mutare vel addere, ne incongrua quaedam exsisterent.

Ea sunt quae sequuntur infra:

can. 10 § 1: Consultores censuerant, praeter petitionem emendationis vel revocationis, petendam etiam esse suspensionem executionis; sed, si ita statueretur, accideret ut ius recurrendi amitteret, qui forte, dum petit ab auctore decreti revocationem vel emendationem, obliviscatur petere etiam suspensionem executionis; quod esset nimis grave;

can. 10 § 5: secundum membrum («vel quo praecedens» etc.) necessarium visum est, ne res in infinitum protrahi possit;

can. 12 § 2: additum est «aut terminum ad recurrendum prorogaverit», quia in hoc casu suspensionem exsecutionis iubet ipsa lex (cfr. can. 10 § 3), si schema quod ad hanc normam attinet probetur;

can. 12 § 3: haec paragraphus necessaria videtur, ne perduret suspensio exsecutionis, quae vel ab ipsa lege vel ab auctore decreti vel a superiore facta sit, etiam postquam iam certum est decretum non amplius rescissumiri vel emendari posse a superiore vel a tribunali administrativo;

can. 13 § 1: altera periodus addita est, ne putetur eo casu tribunalis competentiam ampliari, ita ut possit de merito quoque iudicare.

Romae, die 10 mensis novembris 1971

PIUS CIPROTTI

Relator

I. NORMAE GENERALES

Can. 1. Quae hac lege de decretis statuuntur, item applicanda sunt ad rescripta, pracepta, dispensationes, licentias, et generatim ad omnes administrativos actus, qui singulis personis vel communitatibus extra iudicium dantur, iis exceptis, qui ab ipso Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico ferantur.

Can. 2. Hac lege nihil mutatur de iure vigenti quod attinet ad leges, ordinationes, instructiones, decreta generalia, aliosque eiusmodi actus ferendos vel impugnandos. Eorum autem praescripta, quae legi vel ordinationi superioris auctoritatis adversari iudicet, iudex applicare non potest; quod si in quolibet iudicij gradu et stadio constet quaestionem de praescripti invaliditate iam ad Apostolicam Sedem ab aliquo Superiori ecclesiastico esse delatam, tribunal debet iudicium suspendere, Apostolicam Sedem certiorem faciens eiusque responsum exspectans.

Can. 3. Quae hac lege statuuntur, eatenus valent, quatenus aliter non caveatur in canonibus, qui de singulis negotiorum generibus normas dant; quod vero attinet ad rationem procedendi et ad iudicium et advocatorum qualitates, lex particularis, etiam a Conferentia episcopali vel ab Episcopo lata, alias normas, ad liceitatem servandas addere potest, quae praescriptis iuris communis non derogent.

II. DE DECRETIS EXTRA IUDICIJM FERENDIS

Can. 4. § 1. Antequam decretum extra iudicium ferat, superior necessarias notitias et probationes exquirat; nisi impossibile vel omnino superfluum sit, eos omnes saltem audiat, quorum iura laedi possunt; petitori vel recurrenti, et etiam legitime contradicenti, notitias et probationes omnes patefaciat, quae sine publici vel privati damni periculo cognosci possint, et rationes forte contrarias ostendat, data eis facultate respondendi, et etiam, dum ne id celeritati noceat, patronum et peritum constituendi.

§ 2. Quod si agatur de decreto, quo recursus adversus aliud decretum deciditur, recurrentis semper ius habet advocationem vel procuratorem adhibendi, vitatis inutilibus moris; immo vero patronus ex officio constituatur, si recurrentis patrono careat et superior necessarium censeat; semper tamen potest superior iubere ut recurrentis ipse compareat ut interrogetur.

Can. 5. § 1. Recepta petitione vel recursu ad decretum obtainendum, superior decretum intra sexaginta dies ferat; quod si non fecerit, et petitor recurrentis scripto instet ut decisio detur, tricesimo die, ex quo haec instantia ad superiorum pervenit, petitio vel recursus pro reiecto habetur, ita ut recursus adversus reiectionem proponi possint, tamquam si eo die per decretum prolata sit.

§ 2. Lex particularis, de qua in can. 3, potest de hac re terminos breviores statuere, vel etiam, quod attinet ad nonnulla gravioris difficultatis negotia, longiores.

Can. 6. § 1. Qui decretum fert, id prae oculis habeat et intendat, quod animarum saluti et publico bono maxime conducere videatur, servata quidem lege et generali et particulari, iustitia, canonica aequitate.

§ 2. Decretum scripto feratur, expressis, saltem summarie, motivis; quod si forte gravissima ratio obstet, ne motiva patefiant, haec in secreto documento exprimantur, quod ei, qui de recursu forte adversus decretum proposito videbit, erit ostendendum.

Can. 7. § 1. Decretum statim vim habet, postquam ei, ad quem destinatur, ad normam cann. 1716-1722 Codicis Iuris Canonici est notificatum, vel aliter scripto intimatum; quod si gravissima obstet ratio ne scriptus decreti textus tradatur, potest superior iubere ut decretum ei coram duobus testibus legatur, processu verbali redacto, ab omnibus praesentibus subscribendo.

§ 2. Si autem is, ad quem decretum destinatur, rite vocatus ad decretum accipiendum vel audiendum, sine iusta causa non comparuerit vel subscribere recusaverit, decretum pro intimato habetur.

III. DE RECURSIBUS ADVERSUS DECRETA

1. *Normae communes*

Can. 8. § 1. Adversus decreta extra iudicium lata non datur actio iudicialis coram tribunalibus ordinariis, etiamsi quis contendat decreto ius suum esse laesum et damna esse reparanda; dantur autem, ad normam canonum qui sequuntur, recursus ad superiorem hierarchicum eius, qui decretum tulit, et recursus ad tribunalia administrativa.

§ 2. Hac lege nihil mutatur de iure vigenti, quod attinet ad recursus adversus decreta, quae a superioribus vel capitulis in religionibus, in societatibus de quibus in cann. 673-681 Codicis Iuris Canonici, in institutis saecularibus ferantur, si quidem de consociationibus iuris pontificii agatur; ideoque normae huius tituli ad ea decreta minime applicantur.

Can. 9. § 1. Valde optandum est ut, quoties quis gravatum se decreto putet, non fiat inter ipsum et decreti auctorem contentio, sed inter eos de aequa solutione quaerenda tractetur, gravibus quoque hominibus ad mediationem vel consilium forte adhibitis, ita ut vel per voluntariam decreti emendationem vel per aequam compensationem vel per aliam idoneam viam controversia vitetur vel dirimatur.

§ 2. Quod si adversus decretum recursus propositus sit, superior vel iudex, qui de recursu videt, recurrentem et decreti auctorem hortetur, quandocumque spem boni exitus perspicit, ad eiusmodi solutiones quaerendas.

Can. 10. § 1. Antequam quis recursum proponat adversus decretum, debet ab ipso decreti auctore revocationem vel emendationem decreti scripto petere; qua petitione proposita, etiam suspensio exsecutionis eo ipso petita intelligitur.

§ 2. Petitio debet fieri intra peremptorium terminum decem dierum utilium a decreto ad normam can. 7 intimato, nisi lex particularis, de qua in can. 3, longiorem terminum statuat.

§ 3. Termini ad recurrentum adversus decretum decurrere incipiunt ex tricesimo die, ex quo petitio de qua in § 1 ad decreti auctorem pervenit, nisi antea ipse terminorum initium, non ultra tres alias menses, scripto differat neque ullo modo decretum interim exsequatur.

§ 4. Quod si, antequam terminus ad recurrentum decurrere incipiat ad normam § 3, decreti auctor decretum emendet vel petitionem reiciendam esse decernat, termini ad recurrentum decurrunt ex novi decreti intimatione.

§ 5. Normae huius canonis non valent de impugnando decreto, quo

recursus hierarchicus deciditur, vel quo praecedens decretum ad normam § 4 emendatur vel confirmatur.

Can. 11. § 1. Si decretum latum sit ex potestate delegata, omnia, quae in can. 10 decreti auctori tribuuntur, ad delegantem referri debent.

§ 2. Quod si petitio, de qua in § 1 eius canonis, ad delegatum missa est, hic debet rem statim ad delegantem deferre; termini autem, de quibus in § 3 eiusdem canonis, ex die quo petitio ad delegatum pervenit sunt computandi.

Can. 12. § 1. In iis materiis, in quibus recursus hierarchicus suspendit decreti exsecutionem, idem efficit etiam petitio de qua in can. 10 § 1.

§ 2. In ceteris casibus, nisi intra decem dies, ex quo petitio de qua in can. 10 § 1 ad ipsum pervenerit, auctor ipse decreti exsecutionem suspendendam decreverit aut initium terminorum ad recurrendum prorogaverit, potest suspensio peti ab eius superiore hierarchico, qui eam decernere potest gravibus tantum de causis.

§ 3. Si nullus recursus neque ad superiorem hierarchicum neque ad tribunal administrativum intra statutum terminum adversus decretum proponatur, vel si recursus proponatur tantum ad petendam damnorum reparationem, suspensio exsecutionis eo ipso cessat, nisi ipse decreti auctor aliter caveat.

Can. 13. § 1. Superior, coram quo pendet recursus hierarchicus, potest recursum ad tribunal administrativum competens remittere, si consentiant et decreti auctor et recurrens; tribunal autem iudicabit ad normam cann. 17 et ss.

§ 2. Recursus ad tribunal administrativum propositus potest, quandiu lis in primo iudicii gradu pendeat, ad superiorem hierarchicum transferri, si omnes partes consentiant.

Can. 14. Si adversus idem decretum intra terminos iure statutos propositi sint recursus et ad superiorem hierarchicum et ad tribunal administrativum competens, unius superioris hierarchici est de omnibus recursibus iudicare; quod si recursus hierarchicus propter sola motiva, de quibus in can. 17 § 1, propositus sit, de omnibus recursibus videbit tribunal administrativum.

2. *De recursu hierarchico*

Can. 15. § 1. Qui se decreto gravatum esse contendit, potest intra peremptorium terminum decem dierum utilium ad superiorem hierarchicum eius, qui decretum tulit, recurrere, servatis praescriptis, quae de hac re in Codice Iuris Canonici aliisque canonicis legibus statuuntur.

§ 2. Etiam in casibus, in quibus recursus non suspendit ipso iure decreti exsecutionem, potest tamen gravi de causa superior iubere ut exsecutio suspendatur, dummodo ne recursus post transactum terminum sit propositus.

Can. 16. Superior, qui de recursu videt, nisi lex minores vel maiores potestates ei tribuat, easdem habet, quas decreti auctor in ea re habebat; potest itaque decretum non solum confirmare vel irritum declarare, sed etiam rescindere, revocare, emendare, subrogare, vel ei obrogare.

3. De recursu ad tribunal administrativum

Can. 17. § 1. Adversus decretum extra iudicium latum, etiamsi agatur de decreto quo recursus hierarchicus deciditur, potest is, cuius interest, ad tribunal administrativum recurrere, si contendat errorem iuris adfuisse in decidendo vel violatam esse legem in procedendo, vel generalia iuris aequitatisve canonicae principia non esse servata, vel motiva in decreto allata non esse vera.

§ 2. Recursus proponendus est intra peremptorium terminum triginta dierum utilium.

Can. 18. § 1. Si decretum, quod sit illegitimum ad normam can. 17 § 1, ius alicuius laeserit, laesus potest ad tribunal administrativum recurrere ad damnorum reparationem petendam.

§ 2. Ad recursum hunc proponendum lex particularis, de qua in can. 3, statuit terminum utilem, non tamen ultra annum, qui ex die quo damnum factum est decurrat; terminus autem tandem suspensus manet, quandiu coram tribunali administrativo adversus idem decretum pendeat recursus, quocum petitio de damnis reparandis cumulata non sit.

§ 3. Etsi decretum confirmatum vel mutatum sit a superiore ad normam cann. 15 et 16, de damnis tamen, si forte debeantur, auctor primi decreti, vi muneric sui, respondet; superior autem, qui decretum ad normam eorum canonum mutavit, eatenus respondet, quatenus ex eius decisione damna obvenerint.

4. De tribunalium administrativorum constitutione

Can. 19. Unaquaeque Conferentia episcopalis tribunal administrativum primi gradus stabiliter constituat, vel, si opus sit, plura per territorium distributa, quae videant de recursibus adversus decreta ab Episcopis vel ab inferioribus auctoritatibus extra iudicium lata.

Can. 20. § 1. Conferentia episcopalis potest etiam unum tribunal administrativum secundi gradus constituere.

§ 2. Quod si fecerit:

- a) aduersus sententiam primi gradus appellari potest vel ad hoc tribunal secundi gradus vel ad Signaturam Apostolicam; si tamen aliud ad aliud tribunal appelleret, de appellatione videt Signatura Apostolica, nisi haec aliter decernat;
- b) aduersus duplarem sententiam conformem non datur appellatio ad Signaturam Apostolicam.

Can. 21. Signatura Apostolica videt:

- a) in primo gradu de recursibus aduersus decreta lata vel approbata a Conferentiis episcopalibus earumque organis, a conciliis particularibus, a Sanctae Sedis Dicasteriis, et generatim a quolibet, qui superiorem infra Romanum Pontificem non habeat, vel ab eorum delegatis;
- b) in secundo vel tertio gradu de appellationibus aduersus sententias latas a tribunalibus, de quibus in cann. 19 et 20.

Can. 22. § 1. Tribunal administrativum primi gradus iudicat per collegia trium iudicum; tribunal secundi gradus per collegia trium vel quinque iudicum.

§ 2. Si difficile sit tribunal collegiale semper paratum habere, Conferentia episcopalis potest statuere ut omnia vel nonnulla iudicia primi gradus ad iudicium unicum deferantur; quod si qua pars renuat, iudicium ex officio deferatur in primo gradu ad tribunal administrativum immedie superius.

§ 3. Tribunal potest semper iubere ut in iudicium interveniat Promotor Iustitiae, si id utile censeat ad bonum publicum tutandum.

§ 4. Iudices et Promotor Iustitiae sint idonei sacerdotes, qui in decreto ferendo vel in recursibus proponendis vel iudicandis nullam partem habuerint, neque ad eam dioecesim pertineant in qua decretum latum est; necessitate suadente potest unus ex tribunalis collegialis iudicibus esse idoneus diaconus, vel etiam laicus, nisi iudicandum sit de recursu aduersus decretum ab Episcopo latum.

5. De ratione procedendi apud tribunalia administrativa

Can. 23. § 1. Si recurrens id petat et gravis causa suadeat, tribunal, auditio saltem decreti auctore, motivis expressis decernere potest ut pendente processu exsecutio decreti suspensa maneat.

§ 2. Quoties autem lex statuit ex recursu hierarchico suspensi ipso iure decreti exsecutionem, idem efficitur etiam ex recursu ad tribunal administrativum.

Can. 24. Superior, adversus cuius decretum recursus primum propositus est, iique omnes, praeter recurrentem, quos illud decretum directe attingit, citari debent, et eadem iura habent, quae pars converta in ordinariis iudiciis.

Can. 25. § 1. In ceteris, quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstet, Codicis canones de iudiciis in genere (CIC lib. IV, pars I, sect. I), servatis specialibus normis de causis ad bonum publicum spectantibus; item servanda sunt praescripta legum particularium, quae secundum hanc legem latae sint.

§ 2. Tribunal potest, decreto motivis praedito, normis processualibus, quae non sint ad validitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva iustitia, consulat.

§ 3. Normae Codicis Iuris Canonici de contumacia et de restitutione in integrum propter neglectum legis praescriptum applicari nequeunt in iudiciis coram tribunalibus administrativis.

Can. 26. § 1. Tribunal administrativum potest decretum, quod illegitimum ad normam can. 17 § 1 iudicet, rescindere vel irritum declarare, non autem emendare vel aliter mutare.

§ 2. Si petitio de damnis reparandis proposita sit ad normam can. 18, tribunal debet de damnis statuere; quod si nullus propositus sit recursus ad normam can. 17 §§ 1 et 2, tribunal potest quidem decreti legitimitate vel illegitimitate videre, non autem ad decretum rescindendum vel irritum declarandum, sed tantummodo ad quaestionem de damnis definiendam.